

Burger





18
53
CAROLI ERNESTI,
LIB. BARON. A SCHVVAN,
DISSERTATIO IURIDICA
DE
PRIVILEGIIS, IIS
MAXIME, QUIBUS
RENVNCIARI NON
POTEST,

QUAM,
CONSENTIENTE INCLVTO
IURISCONSULTORVM ORDINE,
PRAESIDE

D. IO. HENRICO
BERGERO,

Potentiff. Regis Polon. & Electoris Saxonis
in summo Provocationum Iudicio Consiliario, Collegio-
rumque Iuridicorum, quæ Vitembergæ sunt, nec
non Iudicii inferioris Lusatiae Assessore,

Ad D. XV. April. M. DCC.

In Auditorio Maiori

Publicæ Eruditionis disceptationi submittit.

VITEMBERGAE, typis MART. SCHVLZII, Acad. Typogr.



CAROLLEFFNESTI

LIB. BARON. A. SCHVUAN
DISCRETARIO IUDICA
DE

PRIVILEGIIS, IIS

MAXIME, QUIBUS
REINVENIARI NON
POTEST,

CONSENTIENTE INCVTO
IURISCONSULTORVM ORDINE
FRATRE

D. IO. HENRICO
BERGERO,

Potentiss. Regis Polon. & Electoris Saxonis
in tantis Privilegiis, quibus in Collegio
truncat. videtur, que Venerabilis
non habentur. Sicut in Adversis
Ab. D. V. Nov. M. DC.
In Auditorio Martii

KITMBACH, Typis Mart. Schvau, Acad. Typogr.



Perillustri ac Generosissimo
DOMINO,
CAROLO ERNESTO
LIB. BAR. A SCHVVAN

S. P. D.

PRAESES.

Soleo ad dignitatem literarum
illos referre dies, quibus differendi causa in
medium prodeunt, qui non contenti natalium
splendore decus, a majoribus acceptum, praestantium
laude studiorum exornant. Ex quo facile intelligis,
Generosissime BARO, quanti eum faciam diem, quo
Tibi stat publicum ingeniorum certamen inire, disser-
tatione eruditorum disceptationi permissa, quam eo po-
tissimum collaudo, quod, quicquid eruditionis habet,
ejus non alium, quam temetipsum, auctorem agnoscit.
Nec vero alienarum egebas opū, quum te celeberrimae,
eae-

eademque non paucae, Germaniae Academiae omni
ornatissimae scientiae genere excoluissent, ipsi etiam il-
lustres Batavorum Doctores & summorum usus con-
suetudoque Virorum, ad quos magnis itineribus con-
tenderas, erudiissent. Quibus si caruisses forte, erat
tamen tibi ea ingenii facultas a natura tributa, ut sponte
disceres, quae alios disciplina aegre doceret, in eaque
industriae contentione tantopere obfirmaras animum,
ut nihil putem tam arduum esse potuisse, quin diligentia
superaris. Eius igitur studii hoc quidem tempore
non parvum capis fructum, quo omnibus, quotquot
ad te audiendum confluunt, admirationem eximiae
eruditionis tuae iniicis, nec paucos adducis, ut Per-
illustri Patri tuo filium, insignem paternae gloriae
amplificatorem, tacito animi sensu gratulentur; lon-
ge autem uberiores brevi feres, cum respublica,
perspecta virtutis tuae praestantia, in amplissimum
honoris fastigium te extollet. Quod ut propediem
fiat, DEVM oro, qui nihil optatis omnibus acrius
expeto, quam ut eum proxime summo amplitudinis
fastigio stantem conspiciam, quocum nunc ex eodem
loco pro doctrinae palma propugno.

Du equidem mecum perpendi,
 quodnam potissimum selige-
 rem argumentum, elaborandæ dispu-
 tationi aptum, quod speciminis qualis-
 cunque Academici loco in hac illustri
 Academia conscriberem; Cum autem
 observaverim, materiam privilegio-
 rum haud infrequenter in foro occur-
 rere, ac cuivis, qui atrocissimam sæ-
 pius læsionem evitare desiderat, quam
 maxime prodesse, nosse, quibusnam pri-
 vilegiis & beneficiis renunciandum sit
 vel minus: inde animum induxi, quan-
 tum pro ratione temporis & ingenii
 mei imbecillitate licebit, materiam
 hancce breviter excutere. Tu autem,
 summe ac sancte Deus, gratia Tua lar-
 giter mihi assistere velis, quo bonum
 fiat initium, felix medium & optimus
 finis, sicq; omnia ea, quæ in præsens Te
 Duce ac Rectore sum prolaturus, juri sint consentanea,
 Majestati Tue grata, studiisque meis omnino profutura.

A


San-

*Sanctissimo invocato Numine, ad ipsum me accingo institutum.
Antequam autem precipua percurramus privilegiorum ac benefi-
ciorum genera, quibus cum effectu renunciari non possit, opera
pretium me facturum reor, si ea, quae generatim circa mate-
riam privilegiorum occurrunt, breviter desiniam. Sit itaque*

PARTIS GENERALIS CAPUT I.

De
Privilegiorum divisionibus, eo-
rumque requisitis.

I.

 Um monente Ulpiano in *L. 1. ff. de J. & J. & l. 1. ff. de reb. cred.* juri operam daturum prius, unde rubri, sive de quo dicturus sit, nomen descendat, nosse oporteat, & mearum existimo esse partium, in vestibulo hujus disputationis pauca de privilegii notatione praemittere. Non autem eadem hac de re est DD. opinio. Nonnulli enim privilegium derivant à voce privus a um, quod privatis i. e. singulis, non universis, dentur privilegia. Privata enim veteres dixerunt singula. Vid. Hahn. *ad Wesenb. tit. de Const. Princ. num. 2.* Alii vero à privando deducunt, propterea quod privilegium privet legem generalem vi & obligatione universali per *l. 3. C. inf. de LL. Richter. dec. 4. n. 10. Menoch. Lib. 6. presunt. 40.* utramque derivationem admittere videtur Schutz. *Coll. Publ. de Stat. Rei Rom. vol. 2. Ex. 8. Tb. 1. lit. a. & Bachov. ad §. 6. J. de J. N. G. & C.* Cum autem

☉ ; ☉

autem unius vocabuli plures dari queant allusiones, merito cujusvis arbitrio relinquendum, qualem sibi eligere velit.

II.

Privilegium communiter definiri solet: quod sit jus singulare contra juris generalis tenorem propter utilitatem aliquam specialiter concessum. *l. 1. §. 2. ff. de Constitut. Princ. Eckolt. ad d. tit. ibique allegat. Enenck.* Circa quam definitionem duo notanda, (1) quod jus singulare & privilegium in jure non sint unum ac idem; licet enim omne privilegium sit jus singulare; tamen non omne jus singulare est privilegium. Vid. Dn. Vitriarius *Præceptor olim meus maxumopere devenerandus in Tr. ad univ. Jus Civ. tit. de J. N. G. & C. §. 33.* Jus enim singulare derogat juri communi; secus privilegium, hoc enim integrat illud, addendo sc. vel detrahendo, facitque, suis subjectis quadrare aptumque fieri. *Ziegler. de Jur. Majest. c. 12. §. 4. p. 228.* (2) quod etiam privilegium à beneficio valde differat, privilegium enim (a) potest esse odiosum *§. 6. J. de J. N. G. & C. nunquam vero beneficium 2. f. 23. inf.* (b) privilegium est qualitas, beneficium autem est actio. Hinc si v. g. alicui aliquid dono, tunc quidem beneficium præsto, nequaquam vero privilegium concedo. Hoc tamen certum est, sæpius hæc confundi, ac beneficium haud infrequenter pro privilegio poni, interdum etiam eidem adungi. Baro ab Enenckel. *Tr. de privil. l. 1. c. 2. n. 5.*

III.

Varia à DD. proponuntur privilegiorum divisiones. Vulgatissima tamen & maxime usitata est hæc, qua aliud privilegium est personale, aliud reale: Personale dicitur, quod personæ concessum, illi immediate cohæret, & cum persona expirat *l. 196. de R. J. l. 42. de administ. & peric.*

ric. tut. l. 3. inf. de censib. l. 1. §. 43. de aqua quotid. Ex qua definitione patet, duo ad privilegium personale requiri (1) ut illud sit concessum personæ alicui, non rei, quod iterum duplici fit modo; Vel enim conceditur (a) certo individuo v.g. Titio, Sempronio; & tunc vocatur privilegium singulariter concessum. Dn. Suendendœrff. *ad Ekkolt. d. tit. Dn. Vitriar. d. l.* hac ratione cum persona ejus, qui eo fruitur, exspirat, nec ad successorem transit, vel (b) conceditur certo personarum ordini, e.g. Clericis, Doctoribus, Fœminis vel Civitati, Collegio, Universitati, quæ dicuntur personæ fictæ sive mysticæ, & tunc appellatur privilegium communiter concessum. Svendendœrff. & Vitriar. *d. l.* & tale privilegium etiam transmittitur ad posteros, non vero jure hereditario, sed jure concessionis *l. 4. §. 3. ff. de Cens.* vid. tamen Ziegler. *de Jur. Maj. l. 1. c. 43. §. 15.* (2.) Requiritur ad privilegium personale, ut cum persona extinguatur, nec ad heredem vel qualemcunque successorem transeat, Eneck *de privil. l. 2. c. 4. n. 46.* Interdum tamen ex speciali juris dispositione commodum privilegii etiam ad alios extenditur *l. 6. C. de Profess. l. 2. §. f. C. de Episc. & Cler. l. 13. C. de dignitat.* quando nimirum privilegium privilegiato foret inutile, si de ejus usu non alii æque participarent, Dn. Stryk. *in not. ad Lauterb. verb. ad alios. add. l. 2. ff. de Const. Princ.* Sic privilegia, Legatis concessa, inserviunt etiam ipsorum comitibus & famulis. vid. *l. 41. §. 2. de excus. l. 7. ad L. Jul. de vi publ.* plura exempla recenset Vitriar. *d. l. §. 36.* & Lauterb. *Colleg. Theor. Pr act. tit. de Const. Princ. §. 30.* Imo etiam ad heredes sæpius extenditur privilegium, ita sc. ut saltem effectu privilegii fruantur. Sic v. g. heredes fœminæ ob fidejussionem, à defuncta factam, conventi recte se defendere possunt exceptione S. C. ti Vellejani, uti aperte constat
 ex

☀ 5 ☀

ex l. 20. C. ad Sct. Vellej. alia exempla videsis in l. 6. ff. de re-
stit. in integr. l. 7. §. 10. de Sct. Maced. l. 19. de minor.

I V.

Manet ergo firmum, privilegium ipsum ad heredes
jure hereditario nequaquam transmitti, licet commo-
dum privilegii ad illos interdum extendatur. Nec huic
asserto obstat, quod privilegium nobilitatis, quo gau-
dent Parentes, etiam in ipsorum liberos transmittatur.
Resp. enim hoc non fieri jure hereditario, sed jure pro-
prio ex prima concessione; alias enim Filii vivo Patre
non essent nobiles; insuper & hoc exinde sequeretur ab-
iurdum, quod quilibet nobili succedens acquireret privi-
legium nobilitatis. Vid. Lauterb. *disp. de benefic. competent.*
Th. 7. p. 12. Vitriar. d. l. §. 37.

V.

Privilegium reale dicitur, quod conceditur intuitu
certæ rei, eidem immediate cohæret, & ad heredes tran-
sit, non qua tales, sed qua possessores rei privilegiatæ. l.
68. §. 196. de R. J. l. 3. in f. ff. de censib. l. 13. C. de excusat. mun.
Hinc immunitas braxandi, ædibus concessa, est privile-
gium reale. Hopp. *ad §. 6. J. de J. N. G. & C.* Quale autem
privilegium in dubio sit, reale an personale, illud puto
optime dijudicari posse ex mente & concessione dantis,
verbisque ac tenore privilegii; ubicunque enim perso-
næ potissimum succurritur, privilegium est personale,
ubi vero ad rem potius privilegium respicit, reale cense-
tur. vid. *LL. supra allegat.* Sed quæritur, numne detur ter-
tium genus, ex prioribus mixtum? sive dentur pri-
vilegia, quæ nec personalia penitus, nec etiam realia di-
ci possint? Qua de re vid. Richter. *dec. 4. n. 14.* Frantz. *ad*
ff. tit. de Const. Princ. n. 43. quem sequitur Svendendœrff.
ad Eckolt. §. 7. d. tit.

A 3

VI. Por-

Porro privilegia dividuntur in favorabilia & odiosa: Illa dicuntur, quæ in favorem causæ vel personæ sunt, concessa §. 6. 7. de J. N. G. & C. l. 1. §. 2. de Const. Princ. Hæc, quæ in odium vel pœnam constituta d. §. 6. 7. & l. 1. Sic in notabili lege §. 1. in fin. C. ad L. Jul. Majest. filii patris, crimen læsæ Majestatis committentis, infamiâ notantur & graviter puniuntur; cum tamen alias delictum Patris innocenti filio pœnæ esse non possit. l. 2. §. 7. ff. de decurion. nec pœna Paterna ullam maculam ipsi infligere l. 26. ff. de pœn. Reliquas divisiones ordine recenset Emenck. de privil. l. 2. cap. 1.

VII.

Omne autem privilegium, cujuscunque sit generis, nullo modo debet contrariari juri naturali, atque divino. arg. l. f. C. de incest. & inutil. nupt. l. 7. in fin. C. de natural. Liber. l. 15. ff. de condit. instit. nam utriusque legislator ipse est Deus, qui Principem vel Magistratum Politicum tanquam vicarium saltem in hoc terrarum orbe constituit; jam autem vicario potestas non competit, legibus à Principe latis aliquid addere vel detrahere, quum saltem eas servare & secundum ipsas judicare debeat. Hinc Princeps non potest certis ædibus privilegium concedere, ut in illas pro lubitu recipi possent meretrices, corpore quæstus facientes; hoc enim esset contra honestatem, multumque in se contineret turpitudinis. Itidem nec Princeps permittere potest, ut quis ducat sororem suam, hoc enim contrariaretur juri divino Levit. 18. v. 9. nec obstat, quod tamen multa contra jus divinum & naturale fieri quotidie videamus; veluti Amstelodami publica lupanaria impunè tolerari, cuiuslibet satis constat; verum Resp. hoc fieri de facto, non de jure ac salvis justitiæ regulis, salvoque rerum ordine.

Quod vero dictum de privilegio contra jus divinum & naturale concessio, idem obtinet in privilegio in præjudicium & injuriam alterius dato, nam nec tale privilegium concedi potest, nec concessum subsistit. *l. 7. C. de prec. Imp. offer. l. 4. C. de emanc. lib. l. 40 ff. de administr. tut. l. 8. ff. de Prætor. stip.* Jure N. enim æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiores *l. 206. de R. J. & quisque suum, non alterius, onus portare debet. l. un. C. ut null. ex vican.* Hinc Principi liberum non est, in perniciem reliquorum subditorum quempiam oneribus eximere, ita ut alii ejus onus subeant. vid. Carpzov. *dec. 262. n. 20.* Imo plerumque privilegiis inferi solet hæc clausula *salvo jure tertii*, eaque non addita tamen subintelligitur, *cap. 10. X. de privil. Dn. Stryk. disput. de privileg. interpret. c. 4. n. 55. seq.* quod & approbavit Serenissimus Elect. Brand. in *Rec. Provinc. March. de anno 1653. §. Das Handels-Leuthen oder Handwerckern* / ubi ita loquitur: Jedoch wollen wir die privilegia andergestalt nicht concediren / als mit der cautel, ne lædant jus tertii, unddafern etwann ein privilegium sub- & obreptitie erhalten / hat es jedoch secundum dispositionem juris communis keinen anderen Verstand denn *salvo jure tertii*. Potest tamen Privilegium tribui, in præjudicium ipsius concedentis, imo sic concessum intelligitur *arg. l. 3. de const. princip.* quodsi igitur Princeps quem ejusmodi immunitatis privilegio donavit, tunc id ei decrescit ac tanto minus à reliquis incolis tributi nomine accipit. Brunn. *ad d. l. un. C. ut null. ex vican.* Puto tamen, si ex urgenti necessitate & justa salutis publicæ causa Princeps alicui privilegium concedat, hoc fieri posse in præjudicium aliorum. *arg. l. 1. §. 6. ff. ne quid in flum. publ.* ita ut reliqui subditi ipsius onus subeant. Vid. Grot. *l. 2. c. 14. §. 7. 8.*

Ad interpretationem privilegiorum quod attinet, de illa integra extat disputatio Dn. Strykii; hinc saltem paucis hoc loco moneo, omnem concessionem ita intelligi oportere, ut quam minimū à jure communi recedatur. Carpz. *dec. 103. n. 16. 17.* qua ratione privilegia stricti juris esse dicuntur. Enenck. *Lib. 2. c. 4. §. 14.* neque enim facile Princeps præsumitur aliquid constituere contra receptum jus commune; quamvis ratione ipsius concedentis plenissimam interpretationem recipiant. *l. 3. ff. de const. Princ.* si nempe favorem simul comprehendant; sicque semper cum restrictione ad subjectum, cui concessio facta. *l. 14. ff. de LL.* Ratione denique tertii strictissima obtinet interpretatio. Carpz. *p. 2. D. 113. n. 13. & 14.* Lauterb. *Coll. Theor. Pract. tit. de Const. Princ. §. 46.* quia, uti jam dictum, ad injuriam alterius porrigi non oportet privilegium.

X.

Remedia, ut quis integrum & intemeratum suum privilegium retineat, prolixè exhibent Lauterb. *d. l. §. 48.* Engelbrecht. *eod. tit. p. 10* Ziegler *de Jur. Majest. l. 1. c. 12. §. 15. & 16.* ad quos me brevitatis studio refero.

X I.

Privilegiarius utitur jure suo contra quemvis, modo alter eodem privilegii genere, in eademque causa gaudeat, sicque æque favorabile privilegium habeat *arg. l. 8. de excusat. l. 11. §. 6. de minor.* quo collineat regula illa in vulgus nota: *Privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur jure suo*, quæ regula ab omnibus ferme DD. unanimiter est recepta & approbata. Vid. Carpz. *dec. 195. n. 10. dec. 277. n. 11. 16. & Resp. 37. n. 8.* Berlich. *p. 1. Concl. 5. n. 36.* Barbosa *Theaur. Loc. commun. L. 14. axiom. 45. ibique allegat. DD.*

Hinc

❁ 9 ❁

Hinc minor non potest restitutionem petere adversus minorem. *l. ii. §. 6. de minor.* Itidem nec illi, qui corporis vel collegii jure à tutela excusantur, à collegiarum filiorumque eorum tutela excusantur. *l. 41. §. fin. ff. de excusat. l. penult. C. de excusat. tut.*

XII.

Patitur tamen prædicta regula varias exceptiones; Sic primo ea fallit, quando unus privilegiatus certat de damno vitando, alter vero de lucro captando; tunc tractans de damno, utpote cujus causa omnino favorabilior, suo utitur jure & sic alteri præferendus est. *l. f. ff. ex quib. caus. maj.* Berlich. *p. 2. dec. 237. n. 7.* Brunn. *ad l. 7. ff. de minor. n. 11.* Hinc qui Reipubl. causa abfuit, etiam adversus eum, qui pariter Reipubl. causa abfuerit, restituentus est, si aliquid damni sibi datum esse, juste queratur, per *d. l. fin.* Sic etiam Ecclesia, quæ fecit contractum cum alia Ecclesia, & fuit in illo læsa, potest petere restitutionem in integrum adversus aliam Ecclesiam, nec potest opponi prædicta regula. vid. Carpz. *L. 2. Resp. 37. n. 18.* Quod si tamen uterque de damno vitando agat, tunc neuter gaudebit privilegio suo. Polyd. Ripa *observ. 7. n. 4. & 5.* & Cephal. *L. 1. Conf. 7. n. 12. vers. secus.* Latè Leo Valent. *dec. 90. n. 3. cum seqq.* Quo fortassis etiam referri possit, quod in Summo Appellationum Judicio, quod Dresdæ est, hucusque receptum esse, comperi, nempe ut adversus lapsum fatalium privilegiatus contra æque privilegiatum restituatur.

XIII.

Secundo dicta regula deficit, si alterius privilegium sit generale, alterius vero speciale, h. e. si alter speciatim in ea causa, de qua agitur, privilegium adeptus sit, hoc

B

enim

enim casu in specie privilegiatus utitur suo privilegio contra privilegiatum in genere, sicque eidem præfertur. Menoch. *Conf.* 52. n. 43. Carpz. *d. l. n. 10.* Licet etiam in genere privilegiatus sit prior & alter posterior, nisi constitutio specialis sub generali expressè comprehendatur. *l. 3. C. de Silent. & decur. c. 1. de Constit. in 6to.* Carpz. *p. 2 c. 11. d. 3. n. 7.* nam alias constitutiones, tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt. *l. f. ff. de Constitut. Princ.*

XIV.

Tertio denique hæc regula cessat, si alterum privilegium alterò sit fortius, hoc enim semper illi præfertur. *l. 11. §. f. l. 12. ff. de minor.* Berlich. *d. l. n. 8.* Carpz. *d. l. n. 20.* fortius vel potentius autem dicitur illud, in quo major versatur utilitas. Leo Valent. *dec. 90. n. 26.* vel etiam cujus causæ sunt favorabiliores *d. l. 11. & 12. ff. de min.* Hinc si minor filio familias mutuum dederit pecuniam, ille, licet uterq; sit privilegiatus, causam nihilominus habet potentiorum, suoq; jure uti potest; magis enim ætatis ratio, quam S^Cti, habetur *d. l. 11.* Idem dicendum de S^Cro Vellejano, modo tamen hoc casu principalis debitor non sit solvendo per *d. l. 12.*

XV.

Consideratis hætenus personis privilegiatis, quatenus privilegia sua contra privilegiatos retorquere possint, nunc paucis quoque agendum erit de personis non privilegiatis, sicque examinandum, numne & hæc contra privilegiatos privilegium concessum retorquere valeant? v. g. Mercator aliquis obætatus impetravit à Principe inducias seu privilegium, vi cujus intra certum temporis spatium non possit compelli ad exsolvenda debi-

11

debita, hic autem pariter habet debitores, à quibus interea pecuniam sibi debitam vult exigere, inde quæritur, numne talis privilegiati debitores se excusare possint jure retorsionis, dicendo sc. privilegium, quod ratione tuorum debitorum consecutus es, in te retorquemus, ita ut, quamdiu tu securus es à creditoribus tuis, tamdiu nec nos tibi satisfacere teneamur? volunt id Carpzov. p. 3. c. 38. d. 1. n. 17. Matth. de Afflict. dec. 66. Berlich. p. 3. concl. 51. n. 10. multique alii. Recedunt vero ab hac sententia Anton. de Freundeberg de Rescript. moral. tit. 9. concl. 52. Anton. Faber. in Cod. l. 1. tit. 9. def. 19. Matth. Coler. de Proc. executiv. p. 1. C. 4. n. 14. aliique, quorum vexilla & ego sequor. Quid, quæso, enim esset iniquius, quam si ejusmodi mercatoris debitores ipsius privilegium retorquere possent? (1.) enim non satis fieret intentioni Principis, utpote qui vult, ut talis obæratu hac ratione ad meliorem vicissim perveniat fortunam, sicque habilis fiat ac idoneus ad debita sua exsolvenda, quomodo vero hunc finem obtinere potest, si ipsi facultas adempta sit, pecuniam sibi debitam exigendi. (2.) id aperte contrariaretur Legi 6. C. de LL. ubi notanter dicitur: quod in favorem alicujus inductum est, non debet detorqueri in ejus odium; in favorem autem debitoris inducias esse concessas, nullus dubitabit. Vid. tamen Dn. Stryk. in disputat. de jur. privilegiat. contra privilegiat. qui adhibita quadam distinctione hanc opinionem admittit. Quodsi tamen litis ordinandæ causa alicui privilegium concessum sit, tunc & alter eodem privilegio contra ipsum uti potest per l. fin. C. de fruct. & lit. expensis. interest enim Reipubl. ut servetur æqualitas in judiciis. Brunn. ad d. l. n. 4. Baro ab Enenckel. de priv. l. 2. c. 4. n. 9.

12
CAPUT II.

De

Personis, quæ privilegia concedere possunt.

1.

DE hisce in genere noto: quod quilibet, qui potest condere legem seu jus universale, etiam possit introducere privilegia. Ratio est evidens, quia non debet, cui plus licet, quod minus est non licere. *l. 21 ff. de R. J.* & qui habet potestatem plane legem tollendi, habet etiam potestatem hanc istamve personam vel rem à lege eximendi, omnia enim quo jure sunt contracta, quo vinculo colligata, iisdem quoque solvuntur. *l. 35. § 100. de R. J.*

I.

Qua quidem regula præstructa, agendum erit de his, qui potestatem habent ferendi Leges. Feruntur autem leges vel de rebus Sacris, vel de rebus humanis. Quod primum ad Leges de rebus sacris attinet, valde inter Dd. disquiritur: numne Principi seu Magistratui Politico competat facultas condendi leges de rebus sacris. Negant id ipsum Fachinæus, Gailius aliique Jcti Romano-Catholici, utpote qui hanc potestatem Pontifici attribuant. Verum horum opinio nequaquam admittenda est, siquidem ex principiis cum Politicis tum sacris satis perspicue cognoscimus, Magistratum Politicum utiq; hac gaudere facultate condendi leges de rebus Sacris; Constat enim, jus Ecclesiasticum inter jura Majestatis primo poni loco. nullum enim frænum coercendi subditos est fortius fræno religionis; sane qui non obediunt Deo,

❁ 13 ❁

Deo, nec parebunt Magistratui. Imo, si hoc jus Ecclesiasticum denegaretur Magistratui Politico, nulla daretur Monarchia; ita enim duobus in Republ. summa, competeret Majestas, alteri in secularibus, alteri in Sacris, Monarchia autem patitur saltem unum superiorem. Accedit, quod Ecclesia à Republ. accipiat protectionem, eo autem ipso, quo expectat protectionem à Republ. & hæc illam quoque tutam præstat, etiam Reipubl. subesse non recusabit.

III.

Amplius ex sacro Codice addiscere licet, Principi hoc jus Ecclesiasticum competere, siquidem ex veteri testamento istud haud obscure illustrari potest exemplo Israelitarum Regum & inprimis Salomonis, qui Abjatharem summum Pontificem à Sacerdotio removit, eique ex singulari gratia vitam donavit *1 Reg. cap. 2. v. 26 27.* Præterea novum Testamentum indicat, Christum coram Pilato se stetisse, & Paulum in causa religionis ad Cæsarem provocasse *act. 25. v. 21.* Quin ipse Paulus dixit, omnem animam esse subjectam potestati supereminenti *ad Rom. 13. v. 1.* hinc nec Clerici, quod adversarii statuunt, excludi possunt. *Grot. Tr. de summ. Imper. potest. circ. Sacro.*

IV.

Cum igitur constet, Magistratui Politico Jus Ecclesiasticum omni competere jure, recte olim Imperatores sibi arrogarunt facultatem ferendi leges de rebus Sacris, testantibus tot titulis *in Lib. 1. C.* Atque etiam Episcopos ab omni cognitione judiciali abstinere oportebat; & quamvis illis ex singulari Imperatorum indulgentia concederetur Episcopalis audientia; ista tamen amicabili-
lem

lem duntaxat continebat compositionem, nequaquam autem ullam Jurisdictionem, sicque à notione simplici non distabat. vid. *tot. tit. C. de Episc. audiunt. § l. 25. l. 33. pr. C. de Episc. & Cler.* Sub ipso tamen Justiniano jam crescere cœpit auctoritas Episcoporum, uti non obscure liquet ex *Nov. 123. c. 21.* imo sub Imperatoribus Germ. in tantum aucta est, ut tandem & territoria acciperent, etiam successu temporis Principalem dignitatem & secularem jurisdictionem acquirerent. vid. *Conring. de const. Episc. in Germ.*

V.

Exercuerunt autem Episcopi jus hocce Ecclesiasticum quiete usque ad initium Seculi superioris, ubi, refulgente Evangelii luce, docente Thuano *L. 1. Histor. Saxonia* non modo sed & innumeræ aliæ Provinciæ didicerunt, posse Ecclesiam citra nominis Pontificii auctoritatem subsistere. Inde remansit quidem apud Pontificios Jurisdictio Ecclesiastica Episcopis; Protestantes vero per Transactionem Passaviensem de an. 1552. quæ an. 1555 per Pacem religiosam, eamq; cum priore in Pacis Osnabrugensis an. 1648. ut & Noviomagensis de an. 1679. conclusam instrumentis, confirmata, & quidem Reges jure Majestatis, Principes autem jure territoriali illam sibi vindicarunt, atque adeo in eo capite res ad priorem statum fuit redacta. Tradunt quidem communiter DD. Principes protestantes per dict. Transact. Passav. accepisse Jurisdictionem Ecclesiasticam, sed minus recte; nequaquam enim actualis aliqua translatio, ex dict. Const. colligi potest; siquidem ibidem duntaxat traditur, Jurisdictionem Pontificis in nostris terris esse suspensam, adeoque rem redactam ad priscum statum; quem communem erro-

❁ 15 ❁

errorem annotavit Mev. *in add. ad n. 43. L. 1. tit. 14. pr. Jur. Lubecens.*

VI.

Porro ex prædictis consequitur, hodie in causis Ecclesiasticis à parte Principum protestantium omnem cessare appellationem, dum nimirum in hisce nullum agnoscunt Superiorem, non Pontificem, quia ejus Jurisdictio est suspensa, nec etiam Imperatorem, utpote, qui ab omni abstinet cognitione Ecclesiastica.

VII.

Ultimo loco quæritur, in quibusnam Judiciis jus hocce Ecclesiasticum sit exercendum? Resp. regulariter, quidem res Ecclesiasticas in Consistoriis, quæ ex Jctis & Theologis constant, decidi. Sed id non præcise est necessitatis, verum Principes, si velint, illas causas in Judiciis Aulicis vel Cancellariis exercere queunt. Mev. *part. 3. dec. 415.* Sic Hamburgi causæ ministrorum Ecclesiæ coram Senatu expediuntur; quo tamen eo majori sollicitudine tales causæ Ecclesiasticæ tractentur, neque cum secularibus misceantur, recte Consistoria sunt constituta; ubi tamen notandum, ea, quæ ordinem Sacrorum concernunt, nec hodie in Consistoriis decidi, sed secretiori Consilio Principum servari; quæ autem spectant ad facultatem judicandi secundum LL. Ecclesiasticas jam latas, in Consistoriis plerumque expediuntur. Dn. Stryk. *ad Brunn. Jus. Eccles. L. 3. c. 1. §. 2.*

IIX.

Quod attinet ad leges de rebus humanis latas, harum ferendarum ratio hodierna longe aliter se habet, quam primis Imperii temporibus: Olim enim solius Imperatoris erat condere leges per *l. fin. C. de LL.* & quod Principi pla-

ci placebat, legis habebat vigorem *l. 1 ff. de Const Princ*
 Hodie vero potestas Imperatoria in Imperio nostro val-
 de est limitata, siquidem Imperatori non aliter facultas
 competit ferendi leges universales, quam adhibito con-
 sensu Electorum aliorumque Imperii statuum, adeo ut
 ne quidem sufficiat illorum consilium, sed præcise con-
 sensus requiratur, uti non obscure liquet ex Recessibus
 Imperii, utpote in quibus plerumque hæcce deprehen-
 duntur verba: So haben wir uns mit einmüthigen zeit-
 tigen Rath und NB. Willen auch zugeben uns anneh-
 men der Hoch- und Ehrwürdigen &c. vid. *R. J. de an 1521.*
in f. pr. quæ verba in sequentibus Imperii Recess. sunt re-
 petita. addatur *Capit. Leopold. art. 21.* ubi prædicta ita con-
 firmata legimus: Wir sollen und wollen auch des Heil.
 Römischen Reichs Ordnungen und Geseze / so viel die
 dem obgemelten angenommenen Reichs- Abschied im
 Jahr 1555. zu Augspurg auffgerichtet / und mehr er-
 wehnten Frieden- Schluß nicht zuwider seynd / confir-
 miren / erneuern / und dieselbe NB. mit Rath und Con-
 sens unserer und des Heil. Reichs Churfürsten und an-
 dern Ständen / wie des Reichs Gelegenheit zu iederzeit
 erfodert wird / lassen &c. vid. *Carpz. de Lege Reg. c. 3. Sect.*
1. n. 5. licet aliter sentiat *Wesenb. ad tit. de LL. n. 3.* Hinc
 hodieque tales constitutiones leges & constitutiones
 Imperii dicuntur, Unser und des Reichs Ordnungen/
 Constitutionem und Satzungen *R. J. de anno 1564. §. 13.*
 haben Sie.

IX.

Ostendimus itaque, Imperatorem hodie non aliter
 leges universales condere posse, quam adhibito consen-
 su Imperii ordinum; inde quæritur, numne etiam Im-
 pera-

perator, in concedendis privilegiis, Electorum & Imperii Statuum consensum necessario adhibere debeat? Non conveniunt hac in re DD. Bœcler. *in notit. Imper. L. 4. c. 1.* Carpz. *de Leg. Reg. c. 12. n. 8.* aliique asserunt, Imperatorem indistincte sine Statuum Imperii consensu privilegia universalia concedere posse, hac ratione moti, quod, quamvis ad Legum universalium lationem consensus Statuum Imperii requiratur, nusquam tamen circa privilegia impertienda idem statutum sit, atque adeo hodieque Imperator noster eodem jure, quo olim Imperatores gavisi essent, fruatur. Alii è contrario distinguunt, an tale privilegium vergat in præjudicium Imperii Statuum, nec ne; priori casu tradunt, necessario Electorum & Imperii Statuum consensum exigere, posteriori vero casu Bœcleri, Carpzoviiq; sententiã admittunt. vid. Schweder. *Introduct. Jur. Publ. Sect. I. c. 10. §. 4. Part. spec. Stryk. U. M. ff. de Const. Princ. §. 8.* quorum quidem sententiã eo promtius accedo, quo clarius eadem in *Capit. Leopold. §. 3.* confirmata est, ibi: Wir wollen niemand einig privilegium darwider ertheilen / und da einige vor oder bey wehren den 30. jährigen Kriege darwider ertheilet worden wären / so in Frieden Schluß nicht gut geheissen oder approbiret worden, dieselben gänglich cassiren und annulliren / auch hiermit cassirt und annullirt haben.

X.

Post Imperatorem certi Ordines sequuntur, qui etiam legis ferendæ habent potestatem. Sic singuli Status Imperii immediati vi superioritatis territorialis, **Krafft Landes-Fürstl. oder hoher Landes-Obrigkeit** / ordinationes particulares in suis condunt territoriis, quæ, si contrariæ sint juri communi & inconsulto Imperatore latæ,

C

num

num valeant & in Camera observentur, valde inter DD. controvertitur; Puto tamen, hanc quæstionem plane nulla laborare difficultate; quodsi enim intelligamus per jus commune Jus Civ. Justinianæum, nullus dubito, Principes huic pro lubitu contrariis statutis derogare posse. Quamvis enim Principes aliique Status Imperii jus hocce cum Imperatore receperint, idque passim in Imperii constitutionibus confirmatum legamus *Maximil. Constitut. Wormatiens. de anno 1495. sub tit. von Gotteslästern* / ubi speciatim juris Justinianei fit mentio, *Rec. Imp. nov. de an. 1654. §. 105. addat. Disput. I. sub Magnific. Dn. Kleinio Antecess. in alma Rostochiensis celeberr. Præceptore olim meo colendisimo, habita, ad Compend. Lauterb. p. 6. & seq.* nulla tamen subest ratio, quamobrem Principes, subditorum utilitate exigente, novas LL. condere, & juri, liberrimo arbitrio recepto, renunciare nequeant, imprimis cum multa juri civ. insint, quæ ad modernum statum vix ac ne vix quidem applicari possint, vid. Dn. Præf. in *Resolut. LL. obstant. ad Compend. Lauterb. tit. de Const. Princ. qu. 5.* ubi idem de jure Canon. quatenus in causis civilibus apud nos obtinet, asserit, addat. *Hopp. in præcogn. jur. c. 3. §. 8. & Baro ab Enenck. de privil. L. 1. c. 4. n. 10.* ubi dissentit. Inde etiam, si causa per appellationem ad Cameram devolvatur, istius assessores secundum ejusmodi statuta pronunciare tenentur. *ordin. Cam. part. 1. tit. 13. §. 1. & tit. 57. R. f. nov. §. 105.* ibi benebenst sollen Cammer Richter / Præsidenten und Besizer bey administration der heilsamen Justiz NB. so wohl die Statuten und Gewohnheiten / als die Reichs-Abschiede und gemeine Rechte vor Augen haben und wohl beobachten. Si vero per jus commune intelligamus LL. Imperii communi Principum

cipum & Statuum suffragio latis, plane aliter dicendum erit; dum enim ejusmodi non nisi contentientibus Statibus fiunt, insuper hi semper solenni aliqua contestatione ad illas stricte observandas se adstringunt, ab iis denuo recedere & fidem frangere non valebunt. vid. R. J. nov. §. 199. Add. tamen Dn. Stryk. *U. M. ff. tit. de LL. §. 8.* Quod quidem posterius limitatur (1) nisi Status Imperii solenni protestatione caveant, ne ejusmodi novellæ constitutiones juribus suis jam constitutis præjudicarent, cujusmodi exemplum notissimum habemus in *Rec Wormat. de anno 1521. §. 39.* vid. Dn. Præses *d. l.* vel nisi (2) diserte Statibus permittatur facultas diversum quid à lege Imperii in suis conditionibus constituendi, qualis clausula habetur in C. C. C. *inf. pr.* doch wollen wir durch diese gnädige Erinnerung Churfürsten/ Fürsten und Ständen an ihrem alten wohl hergebrachten rechtmäßigen und billigen Gebräuchen nichts benommen haben/ it. in R. J. nov. §. 171. verb. zum zweyten vid. Schweder. *ad Jus Publ. part. 2. c. 13. num. 2.*

X I.

Civitates Provinciales non aliter statuta condunt, quam quatenus PP. quibus subsunt, indulgent ac indulgere valent; Sunt vero vel privilegiatæ vel non privilegiatæ, quarum illæ propter privilegium ulteriorem confirmationem libere petunt, atque adeo petere non coguntur. Lauterb. *Coll. Theor. Pr. tit. de LL. §. 7.* Carpzov. *p. 3. dec. 298. n. 6.* Imo dantur in Imperio nostro quædam civitates, amplissimis privilegiis instructæ, ut inter Imperiales & municipales mediæ esse videantur. Sic Rostochium non tantum jus Patronatus circa Academiam, cū Principe Megapolitano habet commune, sed insuper gau-

C 2



gaudet privilegio cudendi monetam & proprium habet
 Consistorium.

XII.

Pari ratione collegia opificum approbata de rebus ad
 artem & professionem spectantibus, vel negotia colle-
 gii attingentibus, statuta condere possunt. *l. fir. ff. de Col-
 leg. l. f. C. de Jurisdic.* Secus vero est in aliis rebus, quæ,
 non ad negotia Collegii, sed communia omnium civium
 jura spectant. *Carpz. Resp. 48. n. 8. & seq.* ejusmodi enim
 statuta & pacta plane non valent, multominus illa, quæ
 juri divino, naturali, aut legibus à Superiore latis sunt,
 contraria; An autem ad validitatem ejusmodi statuto-
 rum Superioris confirmatio requiratur? disputatur. De
 Jure Civ. certum est, confirmationem superioris non
 aliter, quam eo demum casu, ubi juri communi, eidem-
 que positivo humano, repugnant, esse necessariam, uti
 docent *prædictæ LL.* quod nec moribus hodiernis immu-
 tatum puto; licet enim plerumque utilitatis gratia con-
 firmatio peti soleat. vid. *Ziegler. de Jur. Maj. L. 1. c. 5. §. 18.*
Richter, dec. 80. inf. tamen eadem non est de substantia,
 statuti, h. e. non efficit, ut ideo statutum sit & obliget, sed
 saltem hanc præstat utilitatem, ne deinceps à Superiore
 possit retractari. vid. *Dn. Præses d. l. qu. 4.*

CAPUT III.

De

Modis, quibus extinguantur
 privilegia.

I.

Varii dantur modi, quibus privilegia expirant: Sic
 (1) finiuntur revocatione & pœnitentia concedentis

l. 100.

l. 100. § 102. de R. 7. quod tamen restringendum ad ea saltem, quæ ad beneplacitum auffs Wohlgefallen concessa, quia beneplacitum nulli subjacet legi. Schweder. *ad jus publ. part. 2. Sect. 2. c. 14 § 3.* quæ autem ob benemerita & titulo quodam oneroso quæsitæ, nequaquam absque justa causa revocari possunt, quoniam in naturam contractus transfierunt; in contractibus autem, secundum tritum illud, Princeps utitur jure privatorum. vid. Dn. Vitriar. *in Inst. jur. publ. L. 3. tit. 17. n. 72.* Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. tit. de Const. Princ. §. 50.* Imo ex eodem fundamento puto, etiam privilegia mere gratuita, quæ Princeps alicui ex benigna & propensa voluntate & mera liberalitate per modum gratiæ concedit, sine causa revocari non posse, propterea quod talis privilegiorum collatio vim donationis, donatio autem, instar emtionis venditionis, præstandi necessitatem habeat, atque adeo hoc casu adfit aliquod jus alteri acquisitum, quod ipsi invito auferri non potest. *l. fin. C. de O. & A. Ziegler. de jur. Majest. L. 1. c. 12. §. 13. ibique allegat.* DD. licet communis DD. Schola in contrariam abeat sententiam.

II.

Exspirant (2) privilegia renunciatione acquirentis, de qua infra in parte speciali acturi sumus.

III.

(3) Tempore finito, ad quod privilegia sunt concessa arg. *l. 27. ff. de pact. l. 21. ff. de vulg. & pupill. substit.* Sic is, qui in minorennitate est læsus, gaudet privilegio, ut intra quadriennium à tempore, quo major factus, computatum, queat petere restitutionem in integrum; elapso vero quadriennio amplius non auditur. *l. fin. C. de temp. in integr. restit.* Lauterb. *in Compend. jur. tit. de min. in f.*

C 3

IV. (4)

(4) Extincta personarum vel rerum qualitate, propter quam indulta. *l. 6. §. 14. l. 8. §. 1. ff. de excus. l. 4. §. 1. de muner. & honor.* Sic, qui studiosus esse desinit, eorum privilegiis non amplius fruitur. Vitriar *tit. de J. N. G. & C. n. 47.* Excipiunt quidem nonnulli DD. privilegia dignitatum; quod tamen simpliciter non admittendum. quamvis enim nonnulla dentur privilegia, quæ, extincta licet dignitate, non exspirant, uti in *l. fin. C. de decur. l. 17. C. de quest.* ab iis tamen ad reliqua argumentari non licet, cum privilegia ne quidem ob paritatem rationis ad consequentias sint extendenda per *l. 14. ff. de LL. Lauterb. Colleg. Theor. Pract. d. l. §. 55.*

V.

(5) Sublato subjecto, cui inhærent. *l. 68. 196. ff. de R. J. l. 3. §. fin. quibus mod. ususfruct. amitt.* quod fit vel interitu rei vel morte personæ. nec refert, mors sit naturalis, an civilis. civiliter autem mortui Jure Civili dicuntur illi, qui maximam & mediam passi sunt capitis deminutionem *§. 1. & 2. Inst. de capit. deminut.* hinc servi pœnæ, deportati, & illi, quibus aqua & igni interdictum, mortuorum loco habentur *l. 209. de R. J. l. 4. §. 2. de bon. libert.* quæ antiquarum pœnarum genera in Imperio Romano - Germanico fere ignorantur; quamvis loco deportationis ex communi doctorum calculo sit (1) fustigatio cum perpetua relegatione, damnatio ad triremes &c. Philipp. *Usu Pract. Inst. L. 1. Eclog. 75. n. 2. Struv. Jurispr. Forens. L. 1. tit. 14. §. 4. Hopp. ad d. §. 2. J. de capit. deminut.* (2) Bannum, hoc tamen discrimine, bannum irrogatum fit ab Imperatore vel Camera Imperiali, wenn einer in die Reichsacht erkläret wird / an vero saltem à Statu quodam Imperii; Priori casu, cum amittatur jus civitatis universale,

☉ 23 ☉

le, omnia privilegia, cujuscunque sint generis, simul exspirant; Posteriori vero casu, cum tantum amittatur jus civitatis speciale & Provinciale, solum etiam exspirant privilegia illa, quæ quis habet respectu illius provinciae, ex qua bannitus, non vero quæ juris sunt communis, qualem distinctionem satis nervosè suppeditat Schilter. *Exerc. 3. th. 9.* Hinc generalis regula formari potest: quicumque hodie amittit jus civitatis universale, amittit etiam omnia privilegia, qui vero amittit jus civitatis Provinciale, amittit saltem privilegia istius Provinciae.

VI.

Non tamen exspirant privilegia morte concedentis *arg. cap. fin. x. de precar.* nisi sint concessa ad Principis beneplacitum; quia enim ejusmodi privilegia dependent à nuda concedentis voluntate, voluntatis autem ultimus terminus mors est *l. 4. ff. Locat.* nullum dubium est, ea morte concedentis exspirare, Dn. Stryk. *in annotat. ad Compend. Lauterb. tit. de Const. Princ. verb. morte concedentis. Vitriar. tit. de J. N. G. & C. §. 41.* Modo concedens sit persona singularis. nam à fede vel collegio eum in modum data morte non definunt, sed durant, donec revocentur *c. s. de rescript. in 6. vid. Dn. Præses Resol. Lauterb. tit. de const. princip. post quest. 3.*

VII.

Coronidis loco adjicienda est quæstio: num etiam confirmatio Successoris necessario sit petenda, & hujus omisio privilegium, semel valide concessum, infirmet? Communiter DD. ita distinguere solent: Successor jure hereditario ad Principatum pervenerit, an jure proprio per electionem; illo casu confirmationem esse necessariam

riam, unanimiter negant, hac ratione, quia à quo quis lucrum capiat, etiam ejus factum præstare teneatur. *l. 149. de R. 7.* hoc vero casu omnino necessariam illam putant. vid. Lauterb. *in Colleg. Theor. Pract. in fin. tit. de Const. Princ.* Verum enim vero nullam ego hic agnosco distinctionem; licet enim ultimo hoc casu talis Successor nullam quidem à defuncto habeat causam; tamen obligatus est per interpositam civitatem, ut hinc nec tum quidem privilegium antea concessum revocare valeat, nisi idem incipiat vergere in perniciem publicam. Vid. Grot. *L. 2. c. 14. §. 11.* ibique Ziegler, *in not. & in Tr. de Jur. Majest. L. 1. c. 12. §. 14.*

PARTIS SPECIALIS

CAPUT I.

De

Renunciatione in genere.

I.

EXpositis iis, quæ in genere circa privilegiorum materiam occurrunt, ad scopum quoque perveniendum erit, sicque agendum de præcipuis privilegiorum generibus, quibus cum effectu renunciari non potest; dantur enim quædam privilegia & beneficia, quorum renunciationem partim favor tertii, partim salus publica, partim & ipsa naturalis ratio prohibet, quæ ut eo faciliore labore explicari queant, pauca de renunciatione generatim præmittenda sunt.

II.

Regulariter omnes ea, quæ in favorem suum sunt, introducta, contemnere possunt per *l. 41. ff. de minor. l. pen. C. de*

C. de pact. modo ipsis competat potestas donandi vel alienandi, hac enim destituti renunciare juribus suis non valent. Prohibentur autem quidam natura, quidam lege; Natura prohibentur infantes l. 18. pr & §. 4. C. de jur. delib. furiosi & mente capti l. 60. ff. de R. V. l. 5. ff. de R. 7. Muti & surdi natura l. 1. §. 14. de O. & A. Lege prohibentur impuberes & pupilli absque tutorum auctoritate l. 59 ff. de O. & A. minores curatorem habentes arg l. 3. C. de in integr restit min. 25. ann. Prodigii sententia Judicis declarati, l. 6. ff. de V. O. Mulieres curatorem habentes, uti in Saxonia Carpzov. p. 2. C. 15. d. 1.

III.

Renunciatio ipsa duplici fit modo, vel expresse, quando quis vel verbis, vel per literas, aut similem expressam animi notam, privilegio suo, aperte & in specie, uti se non velle, profitetur. l. 1. ff. si quis in jus vocat. non ierit. l. 4. §. 4. si quis caution. l. 6. C. de his qui accus. non poss. vel tacite committendo aliquid, quod directo cum privilegio pugnat. l. 30. de minor. l. pen. §. f. de vacat. & excusat. mun. l. 1. §. 1. de feriis, adeo ut unicus actus sufficiat, si sit voluntarius, consummatus & directo contrarius toti privilegio. arg. l. 4. C. de pact. int. emt. & vendit. l. 2. C. de jur. dom. impetr. Vi- triar. tit. de J. N. G. & C. §. 47. nisi tamen perpetrans negotium privilegio contrarium, se id citra præjudicium sui privilegii facere, protestetur l. 1. & 2. C. de his qui sponte mun. publ. sub.

IV.

Huc etiam referendus est non-usus, regulariter decennialis, arg l. 1. de mundin. quod si enim quis intra decennium, vel de Jure Saxonico intra 30. annos, annum & diem, oblatam sibi occasionem privilegio utendi negligat,

D

gat,

gat, amittit privilegium. Carpz. p. 2. C. 3. d. 23. n. 1. Dn. Stryk. *disputat. de non usu juris quesiti* c. 2. n. 41. & c. 3. n. 32. aliter vero res se habet, si occasione utendi quis destitutus fuerit; tunc enim privilegium ne quidem longissimo tempore amittitur. Carpz. d. l. Richter. dec. 86. n. 3. Stryk d. l. ratio est evidens, quia non valenti agere non currit, præscriptio. l. 1. §. 2. C. de annal. except. insuper in non usu requiritur aliqua negligentia, quæ vero cessat, deficiente utendi occasione, Richter. d. l. Hinc adversus nobiles aliosq; qui habent Jurisdictionem criminalem sive merum imperium, nulla currit præscriptio, si ob casum non obvientem etiam per 40. annos adversus facinorosos glagii potestate non sint usi, sed potius, postea existente casu, ad exercitium Jurisdictionis criminalis redire licebit. Gail. 2. *Observ.* 60. n. 6. Carpz. p. 2. C. 3. d. 23. n. 7.

V.

Varia dantur renunciationum divisiones, quas prolixè recensitas vid. apud Dn. Præs. in *disput. de renunciat. jur.* Hoc saltem obiter noto, renunciationem, dum sit species donationis per l. 21. §. 1. l. 5. ff. de donat. inter Vir. & Ux. omnino esse facti, atque adeo non præsumi, sed ab allegante probandam, insuper stricti esse juris & strictissime interpretandam. Carpz. 1. dec. 58. n. 13.

CAPUT II.

De

Privilegiis ipsis, quibus cum effectu renunciari non potest.

I.

Dixi in §. 1. cap. preced. quod quilibet iis, quæ in favorem suum sunt introducta, atque adeo etiam privilegiis renun-

renun-

❁ 27 ❁

renunciare valeat. Quod tamen assertum non generaliter procedit, sed varias patitur limitationes. Hinc generatim concludo: Cuicumque renunciationi non obstat vel salus publica, vel favor tertii, vel naturalis quaedam ratio, illa est valida & cum effectu fieri potest. cuiusque autem prædicta momenta, vel universa, vel singula, obstant, ea ipso jure est nulla. Age vero, memoremus exempla privilegiorum ac beneficiorum, quibus renunciari nequeat.

I I.

Sic primo est *beneficium S^Cti Macedoniani*, vi hujus creditoribus ad repetendam pecuniam mutuam, filiis familias datam, efficax denegatur actio *l. 1 l. 9. §. pen. de S^Cto Maced. l. 40. de condict. indeb. §. pen. Inst. quod cum eo*. Dicitur vero Macedonianum à Macedone improbo fœneratore, qui pecuniam incertis nominibus credere solebat filiis familias, & hoc ipso materiam læpe peccandi malis moribus præstabat, uti sonant verba initialia *l. 1. ff. de S^Cto Maced*. Reliqua, quæ ad hanc spectant materiam, recensent DD. ad *d. tit. ff. de S^Ct. Maced.*

III.

Hoc saltem loco ex instituto decidenda est quæstio: possitne huic beneficio renunciari? Et responderetur, negando, quia (1) introductum est propter utilitatem publicam, ne scil. filii familias invitentur ad luxuriam, & publica corrumpatur disciplina; illi enim antea sæpius onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ Parentum insidiabantur. *§. 7. Inst. quod cum eo*, jam vero favori publico privatorum pactis derogari non potest *l. 27. §. 4. ff. de pact.* (2) Hic non tam filii, quam Patris potius, favor versatur; quæ autem

D 2

privi-

privilegia in favorem tertii sunt constituta, iis renunciare non possumus *arg. l. 29. C. de pact.* accedit (3) quod filii eadem facilitate renunciarent, qua pecuniam acciperent. vid. Hopp, *ad d. s. Inst. Hahn. ad Wes. tit. de Scto Maced. num. 3.*

IV.

Disquiritur autem inter DD. numne renunciatio tunc valeat, si accesserit iuramentum? communiter quidem distinguere solent inter jus Civ. & Canon. & quod ad illud, juratam ejusmodi renunciationem propter *l. 5. C. de LL.* invalidam pronunciant, de hoc vero admittunt, imo cautelæ loco creditoribus eam commendant. Verum nullam ego hoc loco agnosco differentiam inter Jus Civ. & Canon. sed potius existimo, ne Jure quidem Canonico iuramentum talem renunciationem reddere efficacem, idq; propter *reg. 58. de R. 7. in 6to* ubi discrete dicitur: omne iuramentum, contra bonos mores præstitum, esse nullum; jam autem constat, Sctum hocce ideo esse introductum, ne scil. ansa peccandi malis moribus præbeatur, publica disciplina turbetur & jus Parentum lædatur; Foret ergo iuramentum vinculum iniquitatis. Vid. Lauterb. *in Compend. jur. tit. de Scto Maced. inf. Hahn. d. l. quamvis*, spectato foro interno, tutius agat filius, à Patria potestate liberatus, si iuramentò promissum deinde solvat. vid. Enenck. *de privil. Par. & lib. priv. 12. c. 3. n. 5.*

V.

Deinde huc pertinet *beneficium competentie*, à DD. sic dictum, quod est beneficium certis personis, ne ipsis, ob debita, omnia bona auferantur sive extorqueantur, sed ad alimenta sufficiens portio relinquatur, concessum, *l. 30. ff. de Rejudicat. l. 173. pr. ff. de R. 7.* Competit vero hoc privilegium variis personis, ut Parentibus, Liberis,
Conju-

Conjugibus, Militibus, multisque aliis, quibus vel ob sanguinis vinculum, vel ob reverentiam debitam, vel ob publicam utilitatem, parcendum est, ne plane denudentur, & ad sacrum ac peram usque excutiantur. vid. Lauterb. *disput. de benefic. competent. & DD. ad tit. ff. de Re judic.*

VI.

Sed quaeritur: utrum hoc beneficium hodieque obtineat, an vero ab usu fori recesserit? Posterius statuunt Colerus *in Tr. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 30. & seqq.* aliiq; Sed, cum nullibi id sublatum reperiatur, recte contrarium defendit Carpz. *p. 1. C. 32. d. 15. n. 8. & p. 2. C. 25. d. 6. addatur Dn. Svendendœrf. ad Process. Fibig p. m. 346.*

VII.

Huic beneficio non magis, quam praecedenti, renunciari potest, ob summam, quae hoc pacto induceretur, iniquitatem; esset enim ejusmodi renunciatio contra bonos mores & debitam reverentiam, per *text. expressum in l. 14. §. 1. ff. solut. matrim.* addat. Carpz. *p. 1. C. 32. d. 19. ubi tamen num. ult.* hoc limitat in illis personis, quae sanguinis vel reverentiae ratione non sunt conjunctae. Ita etiam inter personas, quibus ex reverentia, & quibus ex alia causa hoc beneficium competit, distinguunt, & has, non illas, eidem renunciare posse, docent Manzius *Decis 3 q. 9. Mev. discuss. levam. c. 9. n. 45. seqq.* Richter. *1. Decis. 24. num. 7.* aliiq;.

VIII.

Quo quidem argumento consequitur, nobiles & similes personas, quibus beneficium competentiae civili ratione tribuitur Carpz. *1. 32. 18.* eidem omnino renunciare posse, quem in modum quoque haud ita pridem Senat. Appellationum. Dresdensem pronuntiasse, à Dn. Præ-

✿ ✿ ✿

Præsides accepi. Quamvis ejusmodi renuntiatio, certo alicui creditori facta, reliquis non proficiat, propterea quod stricti juris sit atque adeo non extendenda.

I X.

Harum vero personarum, quibus naturali ratione, beneficium competentiae competit, renunciationem, ne quidem juratam, validam esse, evincunt C. J. A. *tit. de re jud. th. 35. n. 3.* Mevius *cit. c. 9. n. 48.* Imo nec juramentum debitoris, de solvendo debito praestitum, eundem ab hoc beneficio, sibi ex civili ratione competentis, excludit, Carpz. *asyl. debit. pos. 77. n. 389. seqq.* Manz *dict. dec. 3. q. 7. n. 117. seqq.* Ceterum Lauterbachius, quamvis dissertationem suam inauguralem *de beneficio competentiae* conscripserit; tamen, quod merito mirari subeat, hoc de renuntiatione argumentum plane transmissit.

X.

Amplius fac, in uno alterove loco generale extare statutum de debitore non solvente in carcerem conjiciendo, quaeritur, possintne vi ejusmodi statuti etiam hi privilegiarii incarcerari? Respondemus negando, quia statuta interpretationem passivam recipiunt à jure communi, Franzk. *ad tit. ff. de LL. n. 16.* & ita in dubio semper sunt intelligenda, ut quam minimum idem laedant Carpz. *dec. 295. n. 21.* Hinc, cum in Saxonia nostra debitores obæratii ad manus creditorum traduntur, vel in publicum carcerem conjiciuntur, communiter DD. ab hujus juris dispositione nostros excipiunt privilegiarios. vid. Berlich. *part. 2. Concl. 28. num. 36.* Idem dicendum de Statuto Lubecensi, ubi etiam in creditoris est arbitrio, debitorem ad cessionis beneficium admittere, an vero mancipio eum accipere velit. Mev. *ad Jus Lub. lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 51.*

XI Se-



Sequitur *querela non numerata pecunia*, quæ est remedium juris, quo quis pecuniam, quam spe futuræ numerationis accepisse confessus est, se non accepisse, queritur. Instituenda hæc est intra biennium *l. 14. C. de non numerat. pecun.* quod tempus est continuum, & incipit currere à tempore interpositæ confessionis vel cautionis *d. l. 14.* quò factò onus probandi devolvitur in adversarium *l. 3. C. eod. tit.* Elapsò autem bienniò huic querelæ amplius nullo modo locus est *l. 8. 10. 14. C. d. tit.* quam sententiam etiam deinceps Senatui appellationum Electorali Saxonico, nec sine ratione, probatam esse, docet Dn. Præses *Resol. Lauterb. tit. de reb. cred. quest. 3.* quamvis nihilo fecius debitor specialem retineat doli exceptionem eo scilicet casu, cum dolo se inductum dicat, aut vi coactum, ut confiteretur, numerationem intervenisse, ut annotavit Dn. Præses *ibid.* Quamobrem is demum elapso biennio omnino tutus est, qui est in b. f. i. e. credit, factam esse debitori numerationem, aut, si mavis, solum probabiliter ignorat, eandem non esse factam, veluti heres creditoris.

XII.

Beneficio hujus querelæ in uno eodemque instrumento neutiquam renunciari potest, nam eadem facilitate, qua quis scripserat, videtur etiam renunciaisse, spe sc. pecuniæ accipiendæ *Lauterb. Colleg. Theor. Pract. tit. de reb. cred. s. pen. Dn. Stryk. de Caut. Contr. Sect. 2. cap 7. § 8.* Quod quidem intelligendum est, non solum de ipsa beneficii substantia, sed & ejusdem privilegio, ita, ut ejusmodi renunciatio nec exceptione non numeratæ pecuniæ debitorem privet, nec in eundem onus probandæ
nega-

negativæ rejiciat; etsi, quod ad probationem, secus servent Frisii, vid. Sand. *lib. 3. Decis. t. 2. def. 1.* Hub. *Prælect. Inst. tit. de lit. oblig. n. 1.* Nonnulli quidem DD admit-
tunt juratam renunciationem vid. Carpz. *p. 1. C. 32. d. 65.* ve-
rum, cum juramentum sequatur naturam actus, cui ac-
cescit, & hoc casu recipiat conditionem, si pecunia mihi
numerata, contrariam sententiam tanquam verio-
rem existimo *arg. l. ult. C. de non numer. pec.* Imo puto, tum ne
quidem relaxationem talis juramenti à Magistratu ne-
cessario petendam esse, cum deficiente conditione, quæ
tacite in hoc juramento suberat, & ipse juramenti nexus
sua sponte concidat, vid. D. Stryk. *d. l. §. II.* quamvis ali-
ter svadeat Struv. *Dec. Sabbathin. c. 13. Dec. 15. inf.* Ex quo
consequitur, eidem exceptioni locum superesse, etsi quis
sibi pecuniam numeratam esse juraverit, aut jurejuran-
do, se pecuniam restitutum, promiserit, quum exci-
piens videatur cum conditione jurasse: si alter promis-
sis steterit, qua non impleta nec juramentum obligat,
A. de Mesa *lib. 3. var. resol. c. 33. n. 6. seqq.* Christin. *vol. 3. De-
cis. 37. n. 17. seqq.*

XIII.

Hinc cautelæ loco observandum, ut is, qui alicui mu-
tuam dat pecuniam, vel (1) adhibeat testes omni exce-
ptione majores, qui postea testari queant, solutionem
revera esse factam, vel ut (2) post conscriptam obliga-
tionem ex intervallo debitorem compellat ad exhiben-
dam aliquam Schedulam, in qua confiteatur, se accepisse
pecuniam istam, de qua mentio facta fuerit in instru-
mento obligationis antea tradito; quamvis posteriori
casu solum præsumptio factæ numerationis capiatur, at-
que adeo onus probandi contrarii, nempe numeratio-
nem non esse factam, in debitorem conjiciatur.

XIV. Ea,

X I V.

Ea, quæ dicta sunt de querela non numeratæ pecuniæ, obtinent etiam in *querela non numeratæ dotis*; nam nec illi valide renunciari potest, ob rationes antea adductas. In eo tamen hæc querela à priori differt: quod, matrimonio intra biennium soluto, instituenda sit intra spatium anni continui à tempore soluti matrimonii, sin solvatur post biennium intra tamen decennium, opponenda sit intra tres menses, si vero decennium transcurrerit, hæc querela plane deneganda *l. fin. §. aut. quod locum C. de dot. caut. non numerat ubi DD.*

X V.

Jam venio ad *beneficium appellationis*, vi cujus gravatus in sententia, à Judice inferiore lata, causam committere potest decisioni superioris. *l. 1. §. ult. ff. ad Sc. Turpill. l. 1. pr. ff. de appell.* Admittitur vero regulariter in omnibus causis, civilibus *l. 20. C. de appell.* & criminalibus *l. 14. C. eod. tit.* adeo ut in hisce etiam alius pro condemnato, invito licet, appellare queat *l. 6. ff. eod.* In nostra tamen Saxonia in criminalibus, si per modum inquisitionis procedatur, non relinquitur locus appellationi. *Carpzov. pr. Cr. qu. 139. num. 14.* quia Judicium appellationum Dresdense in civilibus tantum cognoscit. *Ordin. Appell. Christiani II. Elect. Sax. de anno 1605. tit. wer vor unsern Appellation-Gerichte geladen §. und dennoch vers. iedoch alleine was bürgerliche Sachen seyn / denn so viel die peinlichen Sachen anlanget / weil es bißhero nicht bräuchlich gewesen /*

E daß

daß in unsern Appellation - Gericht in denselben er-
 kannt / so lassen wir es auch dabey bewenden. Con-
 ceditur vero reo ejus loco remedium defensionis, quo
 innocentiam suam deducere, & executionem sen-
 tentiæ suspendere queat. Carpzov. d. l. num. 37. seqq.
 Aliud vero obtinet, si causa tractetur in processu ac-
 cusatorio & criminali ordinario, in hoc enim pariter,
 ac jure communi, admittitur appellatio, quæ tamen
 neque in Supremo appellationum Judicio, neque in
 Curiis Provincialibus ventilari potest, sed, appellatione
 coram commissariis justificata, acta transmittun-
 tur ad Collegium Prudentum, & exinde sententia pe-
 titur. Carpzov. L. 3. Resp. 128. num. 11. Dn. Svenden-
 dœrff. ad Process. Fibig. cap. 2. num. 445. p. m. 885.

XVI.

Idem dicendum est de Judicio Camerae Imperia-
 lis; nam & hoc de causis criminalibus, quæ pœnam
 sangvinis inferunt, cognoscere nequit, per textum
 expressum in *Ordin. Cam. part. 2. tit. 28. §. 5.* Item nach
 dem auch dem alten hergebrachten Gebrauch in Heil.
 Reich zuwieder / daß in peinlichen Sachen appellation
 zugelassen werden sollen / ordnen und wollen wir / daß
 hinfürter in peinlichen Sachen / die Leibes = Straffe
 auff ihnen tragen / am Käyserl. Cammer = Gericht kei-
 ne appellation angenommen / sondern angeregten
 Gebrauch nach / gehalten werde / it. *Rec. Imp. de anno*
1530. §. 95. Item als ictz ektliche Zeit hero. quamvis
 nihilo secius admittatur querela nullitatis in-
 fanabilis, *Ordin. Cam. d. l. verb.* doch so sich jemand
 an

☉ 35 ☉

an dem Cammer = Gericht beklagen würde / daß in
peinlichen Sachen / auch Leibstraf belangend / sein
unerfordert und unerhört / und also nichtiglich / ob er
selbst wider natürliche Vernunft und Billigkeit wi-
der ihn procedirt, gehandelt und geurtheilet / und
derhalben principaliter auff die nullität umb Proceß
ansuchen würde / so fern denn der Richter / des Hand-
lung sich die Parthey obberührter massen beklagt /
dem Cammer = Gericht ohne Mittel unterworffen /
alsdenn soll der ansuchenden Partheyen / solcher Nicht-
tigkeit halben / Ladung erkant / und darauff rechtli-
che Hülffe mitgetheilet werden. add. Blum. *ad Process.*
Cam. tit. 34. n. 47.

XVII.

Hæc de praxi Saxonica & Camerali sunt indubi-
tata. num vero idem de generali Germaniæ consue-
tudine asserendum sit, valde inter DD. controverti-
tur. Affirmant id ipsum Carpzov. *pr. Cr. qu. 139. n. 14.*
seqq. Befold. *de appell. cap. 7. num. 41.* Covarruv. *Pract.*
Qu. cap. 25. num. 5. multique alii, utpote qui uno ore,
contendunt, universæ Germaniæ Judicia hodie pror-
sus à Jure Civili recedere, sicque appellationes in
causis criminalibus plane respuere. Cum autem
talis generalis consuetudo, juri communi contraria,
probari nequeat, præterea valde iniquum sit, in cau-
sis pecuniariis appellationem concedere, in causis ve-
ro criminalibus, veluti rebus magni momenti & inæ-
stimabilibus, eam denegare, contrariam senten-
tiam æquiores verioresque duco, præsertim cum

eadem corroboretur observantia Bohemica, per *text.*
in Novell. Imp. Ferdinandi III. ad ordinat. Provinc. Ferdi-
nand. II. lit. DD. art. 8. in verb. daß weils in selbigen Col-
legio nicht allein Civil-sondern auch Criminal-Sachen
Sachen vorkommen / junct. lit. R. art. 7. vers. kann er
sich vor uns und unsere Königl. appellat. berufe-
fen. Nihil itaque diversum à Jure Civili hoc loco sta-
tuimus, potius asserentes, hodieque etiam in causis
criminalibus ad Germaniæ Judicia regulariter ap-
pellationi locum esse, nisi speciale in uno altero vo-
lo aliquid sit statutum, dispositioni Juris Civilis con-
trarium; quod vero in dubio non est præsumendum.
Eandem sententiam sequuntur Lauterb. in Compend.
Jur. tit. de appellat. p. m. 721. in fin. Martini in Comment. ad
ordinat. Process. Sax. tit. 10. n. 332. & seqq. ibique allegat. DD.
Confer. Oldekop. tract. de appellat. in caus. crim.

XIX.

Quibus præmissis, nunc decidenda erit quæstio,
 utrum appellat. valide renunciari possit? Re-
 spondemus distinguendo inter appellat. in cau-
 sis civilibus & criminalibus; priorem, dum tantum
 attingat favorem renunciantis, validam, posteriorem
 autem invalidam pronunciamus, & quidem ob se-
 quentes rationes: quia (1) hic versatur salus publica,
 non minus enim interest Reipublicæ innocentem ab-
 solvi, quam nocentem condemnari *l. 5. ff. de pæn.* (2)
 quia nemo membrorum suorum est dominus *l. 13. pr.*
ff. ad L. Aquil. & perire volens ne quidem audiendus
l. 6. ff. de appellat. accedit (3) quod appellatio fit loco de-
 fensio-

fensionis; defensionem autem omittere, ipsa natura averfatur. vid. Dn. Stryk. *de Caut. Contr. Sect. 1. cap. 5. §. 21. ibique allegat.* Giphani. *de renunciat. cap. 3. in fin. pag. 81.* Imo ex eodem fundamento hoc quoque dimanat, appellationem ita quidem posse tolli, ne sc. talis sit, propriè dicta *l. 1. §. 4. à quib. appell. non lic.* nequaquam autem, ut nullum amplius superfit remedium corrigendi sententiæ iniquitatem. Dn. Vitriar. *tit. de appellat. pag. 1067. in f. & 1068. in pr.*

XIX.

Denique non incommode huc referri posfit beneficium cedendarum actionum; nam ne huic quidem valide renunciari potest Carpz. 2. 17. 17. & 2. *Resp. 70. n. 12. seqq.* propterea quod creditoris non interfit, quo minus cedat actiones, quin in dolo esse videtur; si accepto, quod sibi debetur, hoc agat, ut in damno moretur fidejussor. Dn. Præses *Resolut. Lauterb. tit. de fidejuss. quest. 2.* Quid? quod ejusmodi renunciatio non eo fine facta esse videtur, ut fidejussor recuperare plane nequeat, quod solvit, & sic omne jus suum remisisse, intelligatur, sed ne obtentu hujus exceptionis executionem retardare possit, ut rectè, præeunte Berlichio *part. 2. concl. 22. n. 69.* ratiocinatur Carpzovius *cit. loc.* Ut proinde regula inde generalis confici possit: toties renuntiationem non valere, quoties ejus, cui facta est, nihil interest. Secus igitur est, cum creditoris interest, veluti cum moto adversus debitorem concursu, deducto eo, pro quo se obligavit fidejussor, tantum non superfit, quantum ad exsolutionem residui requiritur. Imo ne tum quidem huic beneficio

locus est, licet eidem non fuerit renunciatum; quæ observatio incidit in Judicium provinciale Lusatiae inferioris, *M. Octobr. 1699.* quemadmodum commonuit Dn. Præses.

X X.

Hæc sunt præcipua privilegiorum genera, quibus cum effectu renunciari non potest: dantur quidem adhuc alia ejusdem commatis jura, quæ tamen ob angustiam temporis hoc loco non possunt explicari, sed alii labori servanda sunt. Interim B. L. leve hoc specimen favori Tuo commendo, & peractis Deo gratiis pro benignissima assistentia, exercitationi huic impono

FINEM.



COROLLARIA.

I.

AUcto privilegio exemplari, non quoque auctum censetur privilegium referens, sive ad instar.

II.

Immunitas data à muneribus publicis von gemeinen

39
meinen Beschwerden non pertinet ad patrimo-
nialia.

III.

Nec concessa ab oneribus realibus, æque ac per-
sonalibus, ad honores *gemeine Aembter*.

IV.

Nec denique ad onera extraordinaria, extraordi-
nar *Anlagen* extenditur.

V.

Imo nec data ab extraordinariis ad ea proroga-
tur, quæ forte ob casum insolitum, & necessitatis
extremæ, imponuntur.

VI.

Numerus XVI. liberorum excusat à muneribus
patrimonialibus, non numerus XII.

VII.

Cum communitas collectam solvit, ut cives
universi & singuli à populatione & ruina totali re-
levantur per milites intentata, omnia forma colle-
ctandi, vix est, ut actione negotiorum gestorum,
contraria experiri possit adversus eum, qui immu-
nitatem ab omnibus, etiam extraordinariis, colle-
ctis consecutus est; quamvis *Natta Consil. 63. n. 6.*
eumque secutus *Dn. Schilterus Exerc. 1. th. 26.* fecus
sentiant.

IX. Prin-

IIX.

Princeps ne quidem directive i.e. in foro con-
scientiæ, Legibus mere Civilibus obligatur.

IX.

Rescripta ad relationem magistratuum in cau-
sis privatorum regulariter non obligant, Jure scili-
cet Civili ; obligant vero Jure Canonico ,
quod hodieque in principum cu-
riis viget.







94 A 7379

ULB Halle 3
002 376 911




sb

WAT

7/4 Nov 1223







18
53

CAROLI ERNESTI,
LIB. BARON. A SCHVVAN,
DISSERTATIO IURIDICA
DE
PRIVILEGIIS, IIS
MAXIME, QVIBVS
RENVNCIARI NON
POTEST,
QVAM,
CONSENTIENTE INCLVTO
IURISCONSVLTORVM ORDINE,
PRAESIDE
D. IO. HENRICO
BERGERO,
Potentiss. Regis Polon. & Electoris Saxonis
in summo Provocationum Iudicio Consiliario, Collegio-
rumque Iuridicorum, quæ Vitembergæ sunt, nec
non Iudicii inferioris Lusatiae Assessore,
Ad D. XV. April. M. DCC.
In Auditorio Maiori
Publicæ Eruditionum disceptationi submittit.

VITEMBERGAE, typis MART. SCHVLZII, Acad. Typogr.

